

B. N. II. 115. X 1879283

h. 26, 8. DISCURSUS JURIDICUS,

DE

# POSTIS,

*Quem,*

*Divinâ assistente Clementiâ,*  
Indultu Magnifici JCtorum Salanorum Ordinis,

P R A E S I D E  
V I R O

*PRÆ-NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLEN-  
TISSIMO AC CONSULTISSIMO*

**DN. JOH. VOLK. Bechmann/**

JCTO FAMIGERATISSIMO, ANTECESSO-  
RE CELEBERRIMO, CONSILIARIO SAXONICO, CU-  
RIÆ PROVINCIALIS, SCABINATUS ET FACUL-  
TATIS ASSESSORE GRAVISSIMO,

**DN. PATRONO, DOCTORE ET HOSPITE**  
*SUO ÆTERNO HONORIS ET VENERATIONIS CUL-  
TU PROSEQUENDO, EXCIPIENDO,*

publicè ventilandum proponit,

**WILLHELM ROMANUS,**

LICHENSTEINENS. AUTOR.

*In Auditorio JCtorum,*

*Ad diem Julii.*

*JENÆ,*

Typis SAMUELIS KREBSIL.

*ANNO M DC LXIV.*

*BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA*

*Vol. q. d. 6.*

*346.*





I. N. S. S. E. I. T. A.

## P R Æ F A M E N.



Ullatum momenti olim in tabelliones publicos veneranda posuerit antiquitas, in vulgus notum est, nec puto, cur à me deducatur hâc vice operosiùs. Noverat quippe egregium illud, quod in Rempubl. inde redundabat emolumentum, ideoque, ut tantò feliciori fatô negotia eorundem succederent, Mercurium illorum Deum constituebant, & tabelliones omnes, non sine insigni cæcitatis Ethnicæ argumento, hujus subjiciebant caduceo. Quantumvis verò saniora nostra tempora tali cæcitate oculos nobis ita exuerint, ut tanti non æstimemus tabelliones ulteriùs, eorumque causâ peculiares extollamus Deos, nihilo tamen minus hæc illorum est hodiernâ ætate dignitas, ut Imperator Jus illos constituendi suis annumeret Reservatis. Materiæ hujus igitur nobilitate motus in animum induxi, Discursus quendam de Postis conscribere, ea methodô, ut totus hic Discursus in quatuor dispescatur Sectiones, earumque prima præcognita quædam de Postis, altera postas ipsas in genere consideratas, tertia literas, quæ postarum sunt objectum, & quarta tandem personas, per quas exercentur, in se contineat. Quod ipsum ut ex vo-

tō succedat, ardentissimis supremum in cœlis Numen in-  
vocō precibus.

## SECTIO I.

### C A P . I.

D E


# Vocis Etymologia, Homo- nymia, & Synonymia.

### §. I.

**E**leganter admodum non Philosophus solum lib.  
i. Eth. 7. & 8. sed & Jctus l. è re i. in pr. ff. de reb.  
cred. monent, ut priusquam ad rem ipsam acces-  
sus fuit, accurata nominis consideratio præmitti debeat.  
Horum igitur dicto audiens, de voce Posta, quæ & Hispa-  
nis usitata fertur, noto, quod commodè à latino voca-  
bulo posita elisò i & sub intellectâ voce statio, quæ per l. si  
cui 13. in fin. ff. de usuf. locum significat, ubi homines aut  
jumenta quiescunt, Germ. Mahlstatt/ deduci possit. Cu-  
jus quidem ratio hæc est, quod certa & destinata curso-  
res stativa habeant, ubi requiescunt ab itinere, & in no-  
vos sese trajiciunt equos.

§. 2. Significationes habet varias, 1. enim denotat  
cursorem, Einen Postboten. 2. equum, Ein Postpferd.  
3. Stativa, ein Posthaus/ 4. Jus, das Postrecht. 5. ipsum  
officium sive rem cursoriam.

§. 3. Aliis nominibus diversis denotatur posta, & 1.  
quidem dicitur cursus publicus, rubr. C. de curs. publ. In-  
ter quem tamen & postam hoc discriminis ponit Klok.  
de contrib. cap. 2. n. 26. p. 45. ut equos cursui publico desti-  
natos Princeps olim propriis aluerit sumptibus, & nemini  
ni nisi licentia à superiori concessâ, iisuti licuerit, hodie  
verò



verò Regale istud à privatis privatorum sumptibus exerceatur, licentiā à Principe legitimō modo impetrata. 2. Evectione in l. Quicunque 2. de commeatu. 3. Cursores. 4. Stationes. 5. Equi publici. Nov. 30. c. 1. & 7. 6. veredi l. in omnibus 7. C. de cursu publ. 7. Angariæ, gl. ad l. munerum 18. §. cursus 4. ff. de mun. & honor.

## SECTIO II.

### C A P. I.

# Postarum Origine, Definitione, Distinctione & Institutione.

#### §. I.

**P**RÆMISSIS Postarum præcognitis dispiciendum ulterius est, ex quo Jure postæ fluant. Fluunt hæc ex Jure Gentium, & eð quidem secundariò; Etenim cum rerum dominia distinguerentur, efflorescerent commercia, & introducerentur contractus, §. sed jus 2. I. d. J. N. G. C. l. ex hoc 5. ff. de J. J. magna locorum distantia impedimentum sæpè iisdem injiciebat, ideo corticibus initio, aut foliis utebantur, impressisque stylò litteris complicabant aut componebant istas artificiosè, & mittebant cui intererat per homines, qui tabelliones vocabantur, à tabulis quas ferebant, sed privati hi erant, non publici, privatis saltim destinati commodis. Deinde verò Cyrum, Persarum Regem, velocissimos quosdam constituisse, qui mutatis sæpiùs equis remotissima pervolantes loca, expiscarentur ab incolis nova, de iisdemque brevi tempore, certiore facerent, refert Limnaeus lib. 2. J. P. cap. 9. n. 134. sub sign. \*, & rejicitur hæc institutio per Tacit. in Annum ante Chr. N. 500. Hujus (forsan) ad

A 3

exem.

exemplum Octav. August. in Imperio Romano instituit cursores ob causam eandem, quam Cyrus, id quod innunt verba Svet. in vita ejus, quo celerius, inquiens, ac sub manu enunciari cognoscique posset, quid in Provincia ageretur, juvenes modicis primò intervallis, per militares vias, dehinc vehiculò disposuit. Successu verò temporis ab Imperatoribus peculiares LL. de cursu publico, quem postam nostri appellant, fuerunt latæ, quæ patent ex tot. tit. C. de curs. publ. hodieque adhuc non rarò in Comitiis Imperii ferri solent, propter unicum Reipubl. emolumenntum. R. A. zu Nürnberg de Anno 1522. §. ic. ist bedacht/ & seqq. & hæc de origine postarum.

§. 2. Definiuntur postæ, quod sint Jus Majestatis reale, cursus publicos ordinarios & extraordinarios institendi. Lud. von Hornigk de Reg. Post. Jur. Cujus Definitionis ulteriorem explicationem suppeditabunt inferiora.

§. 3. Distinguuntur postæ in Generales, quæ & Imperiales dicuntur, & Speciales, hæ iterum sunt vel Provinciarum, vel Civitatum, civitatum vel Imperialium, vel municipalium, omnes sunt vel ordinariæ, vel extraordinariæ.

§. 4. Postas tales instituere nemo potest, nisi qui polleat Majestate, & neminem recognoscat superiorem. Ex quo inferunt, quod in Imper. Rom. Imperator saltim Romano-Germ. instituere postas generales possit. Reliqui Principes Juribus Majestatis gaudentes particulares tantum constituunt, sicuti & Civitates Imperiales. Ratio est hæc, qnod omnes illi habeant Jura Majestatis, quibus cum destitutæ sint Civitates municipales, nec eorum tabelliones, quos privatâ Reipubl. causâ ad hunc vel illum locum mittunt, dici poterunt Posten/sed Stadt Bothen/ nisi

nisi vocabulō postarum abuti velis. Hoc Cæsareum verò postas generales constituendi Regale tanti est pretii, ut nemini hoc Imperator concedat. Hinc factum est, ut, cum Anno 1579. Dux quidam Germaniæ postas generales in Belgium & Italiam disposuisset, ab Imperatore R. hoc ipsum severè interdictum fuerit, idque pro tuitione Juris sui Regalis, referente Clapmar. de Arcan. Rerum publ. lib. i. cap. 21. circa fin. & Limnao lib. i. J.P. cap. 9. n. 133.

## CAP. II.

D E

# Postarum Modis, Utilitate & Acquisitione.

§. I.

**C**ursus publicus, sive Postæ, quadruplici modō hodie, pro cuiusvis loci conditione, fiunt, aut pedibus, aut equō, aut curru, aut navigiō.

§. 2. Utilitas postarum est varia, inter alias verò, ut de iis, quæ ab hostibus, vel aliis exteris populis, geruntur, certiores fiant Principes, suaque semper ita dirigant consilia, ut ne sibi Exterorum intertrimentum aliquod afferat, aut inurat, quod tamen nisi postarum ipsis inferret usus, vix aut difficulter saltem, & non sine maximis sumtibus, consequi possent. Deinde & Legatis utilitatem non exiguum præstant postæ, ita quidem ut Mitten-tes de Legatorum Expeditione, Hi de illorum voluntate & rerum momentis, citò ad colophonem perducendis, reddantur certiores. R. A. zu Speyer / de Anno 1542. §. Und damit man auch iederzeit / R. A. zu Nürnberg de Anno 1522. §. Item ist bedacht / & R. A. zu Esslingen de Anno 1526. §. Und nach dem Kœsperl. Majestät. 3. Paucis. Ho-

rūm

rum administratio expediri omnes res feliciter & tutius possunt, quod alias vix futurum confido. Promoventur egregie commercia *Limnaus* f. p. l. i. c. 9. cambia debitum solutionis tempore effectu fruuntur, iisdemque egentes peregrini adjuvantur mirè. Et quis omnes utilitates hic enumeraret? Quas ipsas cum perspectas haberent Electores & Status Imperii suppliciter conveniebant Anno 1570. Maximilianum II. Das Postwesen beym Reich zu erhalten/ denn Ihre Keyserl. Majestät wäre es auch Ambts und Pflichten halber/ als ein Mehrer des Reiches/ zu thun schuldig/ und könnten es den Nachfahrern zum præjudicio in fremde Hände nicht kommen lassen.

§ 3. Acquirere Postarum Exercitium quis potest, vel concessionem, vel præscriptionem. Dico quod Exercitium postarum acquirere possit, non ipsum Jus, siquidcm ex *Sixtin. lib. i. c. 5. n. 4. de Reg. apparet*, Principem, quamvis velit, non tamen supremam in alium transferre potestem posse. Quod autem concessionem possit acquirere, probo per c. super quibusdam §. præterea de U.S. Concessio hæc sit dupliciter, vel per Privilegium, vel per investituram, Privilegium conceditur vel cum lege, vel sine lege. Cum lege, v. g. uti Electores ex A.B. habent Jus tolerandi Judæos. Sine lege quid sit, per se patet. Concessio verò per investituram, sive infeudationem, quomodo procedat, videatur *Sixtin. d. l. n. 30.* & aliquot seqq. multis. Acquiritur ulterius exercitium postarum Jure Præscriptionis d.c. super quibusdam §. præterea de U.S. Quamvis verò in præscriptionibus aliis longius tempus 20. annorum putetur *Pr. Jure Civili I. de usuc.* peculiare tamen aliquid obtinet in Regal. contra supremum Principem acquirendis, ut statunnt *Dd. communiter, quos vid. apud Sixtin. d. l. n. 136.* immemoriale constituentes aptum his

his contra Principem Præscriptionibus tempus. Et sic  
paucis etiam modos acquirendi postarum exercitium  
delibâsse sufficiat.

## SECTIO III.

### Literis.

§. II.

 Bjectum circa quod versantur postæ sunt literæ,  
germ. eas dicimus Briefe / quasi breves Besold.  
Theſ. Pr. sub voce Briefe. Circa has notanda duo:  
1. Locus unde veniunt, 2. Earum inviolabilitas. Locus à  
quo veniunt est duplex, vel enim laborat morbis conta-  
giosis, vel non laborat. Posteriori casu res salva est. Prio-  
ri non utique. Etenim cum omnes res, prout Medici  
statuunt, putredini obnoxiæ veneni sint capaces, facile  
fieri potest, ut per literas ejusmodi filis linteis involutas  
transplantetur in urbem aliam contagio. Quæritur ita-  
que quid hîc consilii? Laudat prudentissimum Veneto-  
rum hâc in re institutum Quid, von Hornigk cap. 13. theor.  
21. in fin. qui nullas aliunde venientes literas, siquidem de  
contagione periculum est, inferri Civitati patiuntur, nisi  
& chartis augustis, germ. Postpappier/inscriptæ sint, & fer-  
reis implicatæ filis. Institutum sanè laude dignissimum,  
quod ut in alias recipiatur Civitates, meretur egregiè?  
Charta proin illa, de quâ locutus sum, non debet esse bi-  
bula, quæ multas attrahit humiditates, nec densa, siqui-  
dem & hæc tales foveat, sed lœvigate, sicca & tenuis, quæ  
nulos intromittere humores assolet. Et cursori præ-  
terea invigilandum, ut, quamvis, unde exivit, civitas tali  
non pressa sit contagione, ne in alia in itinere præter-

B

eunda

eunda incidat loca, quæ ex eo, quod timet, laborant.

§. 2. Secundum, quod notandum circa literas, est earum inviolabilitas. Cùm verò suprà consultò omissa fuerit quæstio: An etiam cursores hostium territoria pervagari liberè possint? Hoc loco eam proponimus, & resp. quod sit distinguendum, aut enim hâc de re specialiter convenerunt, aut non convenerunt partes, si convenerunt, meritò ipsorum pactis est standum. *l. i. ff.* *de Pactis.* Sin minus vix liberè & inviolati transire poterunt, quidquid in contrarium statuat *Quid. von Hornigk cap. io. theor. 2.* ideoque fortè quis non prorsus indistinctè improbaret institutum Axelii Oxenstirn, Cancellarii Sveciæ, qui dum in Germania ageret, prohibuit, ne tolleraretur cursor aliis publicus, verba interdicti sunt hæc: Und denn sollen sie / die geschwornen Schwedischen Posthalter / fleissig acht haben / daß keine Feindes Posten oder Currierer bey ihren Post Häusern weder heimlich noch öffentlich passiren / sondern daß sie entdecket und angehalten werden mögen. Licetne ergò Generali Exercitū Duci literas hostis aperire? Resp. quod maximâ hîc cautelâ opus sit. Aut enim, periculum est de detectione Arcanorum ex utraque parte consiliorum, aut non est. Priori casu, quin liceat, dubium non est, posteriori maximum. Nec enim si tales non esse novit literas, quæ intertrimentum sibi, & emolumentum hosti adferre queant, jure aperire potest, quod si verò aperuerit, nec, quod speraverat, invenerit, tunc, ut solus literas legat, & suo obsignet denuò sigillo; ipsi incumbere plerique statuunt. Quod si verò minoris conditionis sigilla violet, stellionatus reus erit, ut dictum suprà.

## SECTIO

## SECTIO IV.

D E

# PERSONIS EXERCEN- TIBUS POSTAS.

C A P. I.

D E

## Persona protegente

Postas & earum Directore.

§.I.

**N**ter alia Privilegia, quibus Elector Moguntinus pollet, non ultimum sibi locum vendicat illud, quô sicuti Elector Trevirensis per Galliam & Regnum Arelatense, itemque Elector Coloniensis per Italiam, Ille ArchiCancellatui per Germaniam præsit. Ex hoc Moguntini ArchiCancellariatu's Privilegio alia non parvi momenti plura resultant, v.g. ut Imperiô vacante Capitulum sive Collegium Electorum convocare *A. B. cap. 1. §. 19. c. 4. §. 2. convocatis & comparentibus illis formam juramenti dare debeat d. A. B. cap. 2. in pr. Limneus de J. P. lib. 3. cap. 3. n. 3.* ubi videri poterunt plura. Ex quibus omnibus unicum hoc ad nostrum scopum facit, quod scil. eodem ArchiCancellariatu's Jure Protectio postarum in Imperio generalium illi incumbat, id quod ipse fatur in literis quibusdam ad S. Cæs. Maj. 27. Jul. 1627. datis, quas habet *Lud. von Hornigk de Jur. Post. cap. 4. Theor. 2. n. 2. pag. 75.* & ita tele habent: Dieweil aber der o selbige allergnädigst bewußt daß Sie und Ihre lobseligsten Vor- fahrer Römische Könige und Kœniger Mir und meinen lobe- lichen

B 2

lichen

lichen Antecessorū / Bischoffen und Thürfürsten zu  
Mähniß/ als Erzkanzlern in Teutschland das Regal- und  
Protection über das Post Wesen im H. Röm. Reich/ und  
was dem anhangig/allergnädigst anbefohlen ic. Notanter  
dixi, quod habeat Protectionem, non omnimodam Di-  
spositionem, quā qui præditus sit §. sequenti überins di-  
cetur. Protectionis autem hujus, quam subit Mogunti-  
nus, in quo consistat officium ipsa denominatio præ se-  
fert, nec ē reduco multa de isthoc conscribere. Cui ipsi  
Protectionis Juri non præjudicant literæ, quas S. Cæs.  
Maj. Wien vom 7. Jun. 1644. und Preßburg vom 21. Febr.  
1647.ad Senatum Noribergensem dedit, & videri possunt  
*apud Luid. von Hornigk cap. 6. theor. 7. n. 4. p. 209.* Etenim  
oneraverat Senatus Noricus eodem tempore Postarum  
Præfectum collectis, Præfectus ita pressus commune Pra-  
cticorum theorema observabat: Actor sequitur forum  
rei, ideoque conveniebat Senatum jam dictum coram  
Imperatore Romano, & mandata impetrabat inhibito-  
ria, ex fundamento jam allato. Et hæc de Persona Pro-  
tegente.

§. 2. Consequens nunc erit, ut etiam de Directore  
Postarum Generali quædam huic inseramus capiti. Di-  
rectores autem in Imperio Romano hodie sunt duo, al-  
ter Imperii, alter Regiæ & Archiducalis aulæ. Prior  
germ. dicitur: General-Reichs-PostMeister/ Posterior:  
Obrister Erb-Land-Hof-PostMeister. Utterque de Re-  
gali hoc specialiter est investitus. Et Generalem quidem  
Postarum Imperialium præfecturam subit illustris Co-  
mitum de Taxis, sive Tassis, familia, Regiæ vero & Archi-  
ducalis per Hungariam, Bohemiam, & Archiducatum,  
Austriam hodie illustrium Comitum de Paar zum Krot-  
ten

tenstein / de quo quidem posteriori nulla nobis in præ-  
senti res est, agemus itaque saltim de priori.

§.3. Est ille, ut jam dictum, ex familia illustrium Co-  
mitum de Taxis, hodiè Lamoralius Claudio Franciscus,  
Patre natus Leonhardo, matre Alexandrinâ de Rye, Ejus-  
demque officium in eo consistit, 1. ut recognoscat Domi-  
num Feudi S. Cæs. Majestatem. 2. Moguntinum Prote-  
ctorem. 3. Ut in constituendis propriis sumtibus & ve-  
terum & novarum postarum germ. Post Aembter / Præ-  
fectis singularem adhibeat curam. Ex quo fluit, quod,  
quamvis Postarum Protector sit Moguntinus, ille tamen  
novos in Imperio Præfectos constituere non possit. Hinc  
refert Quid. von Hornigk de Jur. Post. quod, cum aliquis  
enixè rogâsse Elect. Moguntinum, ut filium suum ad of-  
ficium Hamburgensis Præfecturæ promoveret, apertè  
faſſus fuerit, literis Moguntiæ 27. Jan. 1641. datis, se id præ-  
ſtare non posse, nec permissuram S. Cæs. Majestatem.  
Cujus ipsius hæc sola est ratio, quod teneatur generales  
Imperii postas propriis sustentare sumtibus, conductit  
itaque præfectos particulares, per eosdemque admini-  
ſtrat jam dictas postas, directorio tamen plenò & dispo-  
ſitione ſemper apud ſe remanente. Ne tamen tales fru-  
ſtrâ impendat commodo publico sumtus, recreationis  
loco licitum illi eſt, taxam ſive mercedem pro transpor-  
tandis huc vel illuc literis postulare. Et ne ultra mo-  
dum imponatur merces, coactus fuit ſuprà laudatus Co-  
mes de Taxis per reversalia, quæ habet Quid. von Hornigk  
c.6. theor. i. n. 8. p. m. 62. promittere, ſe uitatum haec tenus  
morem non transgrediturum. 4. Tenetur gratis ſtaffetas,  
vulgò literas Imperatoris Extraordinarias, Archis & Vice-  
Cancellariorum, Imperii Consiliariorum, aliorumque

officialium majorum non solum ab ipsis scriptas, sed & ad se pertinentes expedire, de quibus omnibus videantur plura in dictis Reversalibus. Nec est cur Domus Burgundica de hoc Directionis Jure glorietur, siquidem hactenus non fuit originaliter productum. *Klokk. contrib. cap. 2. n. 30.*

## C A P. II.

D E

# Postarum Præfectis, Cur- soribus & eorum Officio.

§. I.

**C**onsideratis in cap. anteced. Protectore, & Directore Postarum Generalibus, ordinis ratio exigit, ut descendamus jam ad particulares Postarum Præfectos, germ. Postmeister. Hi, qui ideo, quod Cursores germ. Postbothen/ Postreuter/ Postillionen subjectos habent, Præfecti dicuntur, constituunturque præmissò fidelitatis juramentò à Generali Directore Postarum, Comite de Taxis certà conducti mercede. Fidelitas illa consistit 1. in laboriositate, indefessum scilicet expediendis accuratè literis laborem adhibere debet, ut nimirum exactum omnium epistolarum, quæ apportantur & transportantur aliorum, eorumque nomina, ad quas spectant, elemorum componat, nomina nescientium epistolas ad se spectantes adesse chartulæ inscribat, publico loco eandem affigat, quod si nondum sint, qui postulent, habitacula eorum inquirat, & cum non raro tantis sint ponderis literæ, ut vel unicum, quod retinentur supra tempus momentum non leve adferre intertrimenti possit, illis transmittat. 2. in sinceritate, dolum quippe odio habeat, & amori

& amori sinceritatem in omnibus, quæ officii ratio in-  
jungit. Ex hoc sinceritatis vel fidelitatis potius amore  
fluit, ut ne alienas concreditas sibi literas aperiat. Quod  
si secus fecerit, gravissimo excipitur supplicio. Quo ta-  
men in passu distinguendos esse casus autumo. Etenim  
si aperiat literas, easque legat solus & nemini osten-  
dat alii, stellionatus pœnâ plectitur D. Höping. de Jur.  
Sigill. cap. 14. n. 51. conf. l. quid ergo 13. §. ult. ff. de  
bis, qui not. infamia. Quod si verò literas Principis  
aperiat, Crimen læsæ Majestatis incurrit, si aperiat infe-  
rioris & demonstrat alteri, crimen falsi, ejusdemque pœ-  
nâ afficitur. Si inclusum sit literis aurum & argentum  
aut alia pretiosa, eaque eximat, tenetur actione furti.  
Observandæ tamen & hic circumstantiæ 1. enim mani-  
festa debet esse contrectatio. l. 3. §. si rem ff. de acquir.  
possess. 2. eaque fraudulosa. l. furtum ff. de usucap. 3. non  
sola cogitatio. l. 1. §. sola ff. de acquir. poss. 4. lucri facien-  
di cauſa d. l. 1. §. eodem. Sincerus præterea ita erit, utne  
incurrat crimen proditionis, ejusdemque pœnam. Hæc  
autem proditio dupliciter procedere potest, 1. quando  
vel ipse de arcans & consiliis Imperii certiores facit ho-  
stes. 2. quando literas aliorum hosti illa trajicientium  
sciens promovet. Utroque modô excipitur pœna tali  
crimine digna. Alia verò constituitur à Jure Civili, quod  
vult ut Proditores, qui secreta nostra hostibus nunciant,  
aut vivi exurantur, aut suspendantur forcâ, l. si quis 38. §.  
transfuge ff. de pœn. Alia von der peinlichen Halsge-  
richts Ordnung Kœnig Carl des V., ubi hæc reperiun-  
tur verba: Welcher mit boshaftiger Verrätheren miß  
handelt / soll der Gewohnheit nach durch Piertheilung zum  
Tode gestraffet werden/ wäre es aber ein Weibesbild/ die  
soll

foll man erträncken. Und wo solche Verrätherey grossen Schaden und Aergernis bringen möchte / als die / so ein Land/ Stadt/ seine eigenen Herrn / Bettgenossen / oder nachgesippsten Freund betresse / so mag die Straffe durch schleissen oder Zangenreissen gemehret / und also zu tödlicher Straffe geführet werden. Es möchte auch die Verrätherey also gestalt seyn / man möchte einen solchen Mifthäster erstlich kōppen/ und darnach viertheilen. 3. Nova semper inquirat, ideoque forte corresponeat cum hostibus, quo tamen in negotio maximâ opus erit cautelâ, ne scil. ut jam dictum, proditionis notam incurrat. Hinc illud agat, ut frivola semper hostibus annunciet, adhibitâ excusatione, se in altiora penetrare non potuisse, aut talia, quæ omnibus aliâs nota sunt, nec involuta jam silentio, mellitis tamen simul verborum globulis eô pertrahat hostem, ut arcana revelet, Imperio utilia, aut lege silentii, aut promissô, se idem facturum. Nova vero non omnia eliminet, sed quædam pro cuiusque rei conditione retineat, aut privatim Principi tantum offerat. 4. æqualitatem servare debet in mercede literaria, & si quæ sunt, quas mittens nomine Francò, vel alio quodam immunitatem significante, notavit, gratis exhibeat. 5. Quantum fieri potest & licet postas augeat, in emolumentum tûm publicum, tûm sui privatum, ideoque ne finem postarum transgrediatur, cispellat legitimis adhibitis remediis postas aut tabelliones clandestinos. Et quæ sunt similia. Hæc de Præfecto, jam ad Cursores.

§. 2. Quemadmodum vero Imperator sub tit. C. de cursu publico omnes cursus, fiant vel pedibus, vel equis, vel curru vel navigio, includit, ita & nos per cursores omnes tabelliones, quocunque modô iter expediant, intel-

intelligimus. Horum signa, ut ab aliis dignoscantur, sunt varia. Alia autem & his manifesta, alia non-manifesta. Non manifestum signum est Schedula cursoria, der Postzettel/ ut officii sui cursorii, aliis de eodem dubitantibus fidem faciant. Manifesta signa sunt 1. Cornicula, cuius usus est triplex 1. ut noctu appellantes ad portam tantō citius intromittantur. 2. ut eos, à quibus literas in transitu accipiunt eò facilius expergefaciant. 3. ut si fortassis noctu in erroneas deflectant vias, inflent corniculas, & hāc occasione proximi pagi canes ad latrandum invitent, eorumque latratū attrahantur ad pagum & ab incolis in rectam diducantur viam. Corniculam hanc alii dextro, alii sinistro appendunt lateri. Hi quibus familiaris est peraliteraria, germ. Posttasche/ sinistro, illi, quibus non, dextro, & commodius forsitan accommodant, ideò quidem, ut manu dextrâ tanto facilis arripere & applicare labiis corniculam possint.

2. Signum sunt insignia. Imperii Cursores publici utuntur insignibus ejusdem urbis, unde veniunt, non ac si potestatem habeat urbis Senatus instituere postas, sed quod denotent hōc, sejussu Imperatoris in hoc sese conjectisse iter. Alii tabelliones Provinciales & particulares appendunt insignia Principis, cui inserviunt, & notandum certè, quod semper pectori sinistro insuta habent. Cujus rationem aliam penetrare non possum, nisi ne brachio dextro in negotiis iniciatur impedimentum.

3. Signum manifestum cursoribus usitatum est hasta ferreâ induita cuspide, cuius usus est duplex. Prior ut canes irruentes in se pagum vel civitatem prætereuntes repellant. Posterior, ut fossas vel alia loca aquosa pontibus carentia eò felicius transfliant. No-

C tandem

tandum præterea, quod Imperiales etiam cursores gladiō nunquam cincti incedant, cuius ratio fortassis hæc, quod contra omnem vim externam sint inviolabiles. De quo infrà in subseq. cap. pluribus.

§. 3. Præter alia tamen officia, quæ cursoribus cum Præfectis communia sunt, illis incumbit, ut statutō tempore, quod ad iter ipsos vocat, adsint, ne diurna fortassis mora varia gignat incommoda. 2. ut literas contra tempestatem & corruptelam benè muniant, & sarcinæ cerā obductæ insuant, eamque 3. benè custodian. Circa quod queritur, quid Juris, si amittat fortuitō casu sarcinam literas Imperiales & alias magni momenti in se continentem Cursor? Et resp. quod inventor teneatur eam exhibere inviolatam Domino territorii, in quod invenit, qui postquam certior factus, quorsum pertineat, restituere cursori gratis assollet. 4. In itinere constituti abstineant à compotationibus, ne scil. aut præterlapsò dudum statutō tempore præfixum locum tangant demum, aut aliis sese expellant periculis. 5. literas illicò exhibeant nec ullas nestant moras. 6. æqualitatem in postulanda mercede adhibeant. 7. Balletas, Postzehul justō tempore exhibeant, sibique faciant fidem. 8. Die nocteque iter facere pergant, nec somnum magni æstiment, & ut paucis me expediam, fideles in omnibus sese præbeant negotiis.

### CAP. III.

D E

## Privilegiis & Præfectorum & Cursorum.

§. I. Cum

**C**um itaque, ut ex prædictis patet, tantus labor, industria tanta, & similis cura ad exercendum Imperialium postarum negotium requiratur, factum est, ut variis non Præfecti solum sed & Cursoribus donati fuerint Privilegiis. Quorum quædam sunt & Præfecto & Cursoribus communia, quædam his peculiaria. De quibus ex utraque parte quædam proferre operæ pretium duco. Ex his primum & maximum est, exemptio ex Jurisdictione, ubi habitant, territoriali, nisi habeant bona in eo patrimonialia, & quamvis habeant, subjecti tamen territoriali Jurisdictioni ratione eorum saltim sunt, non ratione Præfecturæ, quam subeunt, sed hujus ratione aliud sortiuntur forum. Sed quæritur quale, & ubi conveniendus sit Præfectus cum Cursoribus, an coram Comite de Taxis, tanquam Directore, an verò coram Moguntino tanquam Protectore, aut an coram ipso Imperatore? Et resp. quod tres esse videantur instantiæ, prima coram Comite de Taxis, altera coram Moguntino, tertia coram ipso Imperatore. 2. Privilegium est immunitas ab oneribus. Hornigk de Jur. post. cap. 18. tb. 3. Cùm verò munera sint triplicia, alia personalia, alia patrimonialia, alia mixta, i. e. quæ propter patrimonium labore corporis sunt subeunda, quæritur an ab omnibus immunitatem consequantur? Et resp. quod cum sermo nobis sit de Præfecto & Cursoribus, quâ talibus, non quatenus ratione patrimonii alii magistratui subjecti sunt, de muneribus patrimonialibus & mixtis nullum, quin exempti sint, queat esse dubium, quamvis de personalibus. Personalia hæc munera sunt, quæ cum cor-

poris labore animique solicitudine & vigilantiâ principaliter sine rei familiaris damno ac sumtu perficiuntur, *l. ult. ff. de mun. & honor.* Ab his non minus ac patrimonialibus & mixtis immunes esse arbitramur, moti argumento ducto à minori & majus. Si enim Reip. causâ absentes ab ejusmodi muneribus excluduntur, excluduntur & illi, qui occupati adeò sunt Reipubl. causâ, ut respectu aliorum negotiorum abesse penitus videantur, quô eodem privilegiô fruuntur & illi, qui cursorum officia gerunt: *arg. l. 41. §. eorum ff. de Excus.*

4. Nec illos teneri milites in hospitia recipere testatur *alleg. D. Hornigk de Jur. Post. cap. 18. tb. 5.* Et hæc de Privilegiis communibus..

§ 2. Privilegia porrò, quæ cursores habent, prima-  
ria sunt sequentia: 1. Ut sint inviolabiles. Quamvis  
enim securitas & pax publica, hoc requirat ut quilibet in itinere constitutus nullò modò violari debeat,  
& secus qui fecerit, pœnam latrocinii incurrat, cum  
tamen publici hi cursores autoritate non privatâ sed  
publicâ publicorum negotiorum gratia iter hoc su-  
scipient, καὶ ἐξοχὴν inviolabiles dicuntur ita quidem,  
ut qui vim illis adhibeat, non latrocinii saltim, sed &  
criminis læsæ Majestatis reus judicetur. *l. 3. ff. ad L. Jul.  
Maj.* Quantumvis autem 2. propter commodum pu-  
blicum nulla exhibeant cursores vextigalia, nihilò  
tamen minus 2. magistratus cuiusque loci non ratione  
solum Jurisdictionis, sed & in reverentiam SC. Maje-  
statis securitatem illis præstare & potentibus auxiliatri-  
ces porrigere manus tenentur. Ex quo immunitatis  
vextigalis principio fluit & hoc, quod 4. regiam semper  
sequiviam non sint adstricti, si tamen alias querant, qui-  
bus:

bus latrones famam dederunt, eosque petant, spolii cul-  
pam præstare illi tenentur. s. si casu accidat, ut, quod ve-  
luntur, equus vel morbo laborare incipiat, vel prorsus  
moriatur, vel rapiatur ab aliis, ipsi liceat equo, cuius-  
cunque sit, & ubi vis offenderit insilire, & publicis suis  
invigilare negotiis, idque propter utilitatem publicam,  
quod evincunt l. 15. §. 1. & 2. ff. R. V. & quæ privilegia  
sunt passim plura.

§. 3. Præter cursores hos privilegiati etiam sunt  
passim in Jure nostro equi, v. g. 1. non fustibus, qui ar-  
mis annumerantur per l. 14. ff. de V. S. sed flagellis sunt  
agitandi l. 1. C. de curs. publ. quæ lex in secus facientes ar-  
bitrariam constituit poenam. 2. ipsis ultra 40. aut ad  
summum 50. libræ non sunt imponendæ per speciale  
Imperatoris rescriptum, quod habet Hornigk d. l. cap.  
18. tb. 72. n. 3. lib. 1. inter alia hæc etiam reperiuntur  
verba: Und da die Verwillingung erfolget/ die Ross mit  
dem Felleisen/ so über 40/ oder meistenthal 50 Pfunde  
am Gewichte halten sollen/ nicht beschweren/ immassen  
den auch die Postverwälter und Knechte solche fort zu füh-  
ren nicht schuldig seyn sollen. 3. Bene nutriendi. Goldast.  
tom. 3. Constit. Imper. 10. p. 30. 4. Non arrestandi, Hornigk  
d. l. cap. 18. tb. 33. tb. 73. & si de facto fuit, judicis senten-  
tiâ relaxandi id. dl. tb. 14. Quæ etiam de privilegiis  
equorum dixisse sufficiant.

§. Posset equidem nobilissima hæc de postis mate-  
ria prolixus proponi verum cum meum non sit h. t. tra-  
ctatum sed Disputationem conscribere, ideo  
abrumpto filum & impono

F I N E M.

C 3

Roma

**R**oma amoR est uapnūq; versū, hinc esse  
videris  
**D**ictus Romanus, semper quod depe-  
ris artes  
**P**ierias, nostramque Themin. *Vice*-namque  
*secundâ*  
**H**anc animas Cathedram nostram (*me Præside*)  
Juris  
Insigni cūm laude. Modò sic *currere* perge.  
Me Præde accipies netam ex bombyce Tiaram  
Summam, quam noster merito Tibi Sala pa-  
ravit.

*Nobilissimo Domino Autori  
amicè gratulat.*

**Johann-Volk. Bechman**  
D. & Præses.





AK TK 2834

bott



